

## BALDO

## 'NOVUS ESOPUS' (1271 vers)

( Pour les problèmes d'édition du texte, voir la dernière page de la version '.doc' du texte scandé )

## PROLOGUS

B\_1a v.1 Versibus istud opus, cujus fuit auctor Esopus,  
 2 Baldo, quod exegit rudis ejus musa, coegit.  
 3 Artis adhuc priscae quod fictum tempore disce,  
 4 simplicitate styli, novitatis origine vili ;  
 5 et licet arte foris nullius id esse decoris  
 6 ante videretur nec ob hoc placuisse putetur,  
 7 ut tamen agnovit, quid agendum mystice promi  
 8 interiusque geri documenta simillima veri,  
 9 traxit ab enormi sub forma carminis horni,  
 10 plus blandimenti quia dant nova carmina menti ;  
 11 quod licet esset ei grave pondus materiei,  
 12 quod pedibus senis strictisque cucurrit habenis  
 13 per tam dumosi nemoris loca tamque fragosi,  
 14 vis imitandi, rei jocus insitus et speciei  
 15 exhibuere tamen scribendi grande levamen,  
 16 hac ut morosa prodesset et arte jocosa.  
 17 Carminibus quisquis tangi dignaberis istis,  
 18 ne potiora petas quam quae prior edidit aetas :  
 19 si qua tamen digne sumenda putaveris inde,  
 20 non fugiant mentem scriptorem propter inertem !  
 21 In quibus accures, quod inest ut rite figures,  
 22 cantus et in partes, quibus hoc bene congruit, aptes :  
 23 nec sermone rudi, nec vilis imagine ludi  
 24 quominus utaris his versibus, admonearis,  
 25 si quid in his cernis, quod opus sit habere modernis.

## DE CANE ET UMBRA PREDE.

B\_1b v.1 Anxius in cella natorum carnis ofellam,  
 2 dum canis, ex more, fluvium prope ferret in ore,  
 3 ejus ut est umbra visa majore sub unda,  
 4 quam gerit hanc abicit, et ad hanc festinus anhelat ;  
 5 sed dum plura petit, dederat quod sors sibi, demit.  
 6 Sic habuisse parum, quod habet, discatis avarum,  
 7 cui nihil esse satis bene constat in anteparatis :  
 8 unde fit ut demens augendo peculia praeceps,  
 omnibus amissis, pereat delusus ab ipsis.

## DE AGRICOLA, QUI THESAURUM INUENIT.

B\_2 v.1 Cotibus in duris fodiens rudis incola ruris,  
 2 caespitem sub lauri vas plenum repperit auri ;  
 3 cujus erat votum, soli sit ut hoc sibi totum.  
 4 Cumque timet partem cuivis dare, respuit artem  
 5 consiliumque viri cujuslibet inde requiri,  
 6 credulus unius per opem fore, quod sit alius.  
 7 Eliguit ipse tamen sibi, quos ad tale juvamen

8 esse putat justos, his gazis quos tot onustos  
 9 dirigat uxori, ratus est ubi cuncta reponi.  
 10 Quod sic dum credit, procul in sua quisque recedit,  
 11 his opibus partis solitae sibi fraudibus artis,  
 12 moris ut est cautos fatui fore rebus adauctos.  
 13 Nec minus ipse quidem manet ambitiosus ibidem,  
 14 denuo majus humum reputans quod det sibi munus ;  
 15 sicque laborando, nihil inveniensque morando,  
 16 Nocte domum tristis remeans, se sentit ab istis  
 17 verba per uxoris fructu caruisse laboris.  
 18 Sic defraudari spes improba suevit avari,  
 19 cui cor inardescit, quo plus sibi copia crescit,  
 20 hydropis exemplo, qui plus sitit usque bibendo.  
 21 Cui magis hoc aequum fuerat conjungere secum  
 22 participem notum quam soli perdere totum.

DE FATUO, QUI SAPIENCIAM ACQUIRIT.

B\_3 v.1 Vir fatuus quidam, sapienter ducere vitam  
 2 dum cupit atque parum petit addiscenda morarum  
 3 haec documenta sibi, doctoris ab ore periti  
 4 sumit, ut haec cordi studeat sex verba reponi :  
 5 "Istud et illud agas ; huc, illuc quandoque vadas ;  
 6 inferius, sursum, varia vice, dirige cursum ;  
 7 in quibus ad plenum latet alta scientia rerum".  
 8 Hac brevitatem morae confisus in artis amore,  
 9 instat ad hoc solum, labiis memor ut sit eorum,  
 10 non ut rimetur, quod in his, quid agatur, habetur,  
 11 speque brevis cartae, quia sic confidit in arte,  
 12 nulli prudentum similem se jactat habendum.  
 13 Quadam forte die meditantibus alta sophiae  
 14 sex sua verba refert ; his se simul et sua prefert :  
 15 in quibus hunc vere patuit rationis egere.  
 16 Hic patet intentis, quod opus sit inane legentis :  
 17 ni, quod in ore sonat, mens intus id omne reponat,  
 18 ne velut hic dudum faciat de se fore ludum.

DE SOMPNOLENTO ET FURE.

B\_4 v.1 Clam dum latro pedem cujusdam ferret in aedem,  
 2 surgit, ut exploret, quid fur temptare laboret,  
 3 ne quid in hac damni pateretur fraude tyranni ;  
 4 quem cito punisset, si forte quid inde tulisset.  
 5 Haec exploranti, furi quoque multa minanti,  
 6 mole gravis somni ceperunt membra resolvi ;  
 7 hocque soporato, compos redit in sua latro,  
 8 arte sua demptis, quaecumque fuere jacentis.  
 9 Mane vir hic facto surgens, jam limine fracto,  
 10 flebilis et maestus dat inanes undique questus,  
 11 hisque dolet tegnis male sic sua perdita segnis.  
 12 Legens haec quisquis, verbis monearis in istis,  
 13 ut vigili cura caveas, quae sunt nocitura,  
 14 ne pateat praedae locus usquam mentis in aede,  
 15 semper et insistas, ut ei vigilando resistas ;  
 16 perque probos mores nocturnos pelle timores.  
 17 Cujus enim cordis fuerit domus inscia sordis  
 18 integer et vitae qui se reget et sua rite,  
 19 nec mala cujusquam meditando peregerit usquam,  
 20 non ope loricae nec egebit acumine sicae

21 more nec hostili cujusque juvamine pili :  
 22 solo virtutum quem constat robore tutum.

DE PAUPERE ET FURE.

B5\_ v.1 Membra fovens lecto quidam sub paupere tecto,  
 2 cui nihil est plus quam cereris cadus et domus usquam,  
 3 Prorsus adempturum quemdam sibi talia furum  
 4 dum praesentiret, surrexit, ut obvius iret.  
 5 Sed, quia cognoscit, nihil hic quod perdere possit,  
 6 ad requiem tandem rediit securus eandem.  
 7 Quo fur, captato pro voto tempore grato,  
 8 dempsit pauxillum cereris, quod habebat ; et illum,  
 9 veste superjecta, detexit et abstulit extra.  
 10 Continuo surgens clamore nimisque perurgens,  
 11 multatum foede compellit cedere praedae,  
 12 vique facit multa, sibi reddat ut omnia tuta ;  
 13 moxque, suis letus sumptis, redit intro quietus,  
 14 nec violenter eum quis adit post tale trophaeum.  
 15 Nunquam justus ita spem ponat in hac sibi vita,  
 16 nec se virtutum credat munimine tutum,  
 17 negligat ut contra vigilare nocentia monstra  
 18 insidiatoris hominis magis interioris :  
 19 cui ne quid possit contingere tale, quod obsit,  
 20 sit ratione pari catus et vigil hunc imitari.

DE FURE, QUI RADIUM LUNAE EQUITAUIT.

B\_6 v.1 Divitis ante fores vigilantes nocte latrones  
 2 semet adhortantur, huc prorsus ut ingrediantur.  
 3 Quos id conari dum sensit et ista minari,  
 4 clam monuit, talem per fraudem, collateralem,  
 5 quaerat ut hic alte, tot opes qua repperit arte ;  
 6 hisque requisitus, dedit haec responsa peritus :  
 7 "More juventutis comes olim furta secutis,  
 8 per radium lunae tute, quasi tramite fune  
 9 qualibet a rima tecti ducebar ad ima ;  
 10 quo radio sursum referebam denuo cursum,  
 11 dives et intactus tales plerumque per actus".  
 12 Hujus ovans dictis, temerarius unus in istis  
 13 tecta domus scandit, radioque foramina radit,  
 14 cuique manu nisus, pronus ruit intro ; relisus,  
 15 suppliciumque satis tantae dedit improbitatis.  
 16 Hac ratione vides arti succumbere vires,  
 17 qui fueras tantae rationis nescius ante.

DE FRAUDULENTO, QUI SUA FRAUDE DECIPITUR.

B\_7 v.1 Bini collegae parili duo dolia lege  
 2 distribuunt lentis, ratione sed impare mentis,  
 3 alter ut aequalis sua pars foret atque sodalis,  
 4 alter ut excedat solitaque cupidine laedat ;  
 5 deque sua parte clam jecit in illius arte,  
 6 vasque suo texit velamine sicque recessit,  
 7 rursus ut huc tandem venientibus hic ad eandem  
 8 certior accedat, socio pars altera cedat.  
 9 Quo vir ut accessit simplex, dum talia nescit,  
 10 vas videt addictum sibi veste sodalis amictum ;

11 quod factum digna quia credit et arte benigna,  
 12 cogitat, unde quidem par reddere possit eidem.  
 13 Ergo suae testae detracta praeside veste,  
 14 texit amore pari vas inde sodalis avari ;  
 15 quod dum nesciret, parat improbus, huc ut abiret,  
 16 speque sui signi brevior pars accidit illi.  
 17 Quisque tuis gaudes sociis pretendere fraudes,  
 18 id tibi contingat, quod ficta parabola signat !  
 19 Impactus pici, vulgo solet utpote dici,  
 20 omne retorquetur, quodcumque dolare videtur.

DE SIMIA, QUE SECARE UOLUIT.

B\_8 v.1 Staret in arbusto dum simia more vetusto,  
 2 arte videt serrae pro consuetudine terrae  
 3 grande procul scindi robur super ardua Pindi :  
 4 protinus affectat, dum tale quid invida spectat ;  
 5 cominus accessit, mox sector ut inde recessit,  
 6 incubuitque super temptatque, quod hic quoque nuper,  
 7 dumque sedendo secat lignum, quod forte patebat,  
 8 testiculos rima concluderat ejus in ima.  
 9 Quod cum nesciret, sectorque repente veniret,  
 10 surgere conatur ; sed rimula clausa moratur.  
 11 Hujus namque modi specie se nescia prodi,  
 12 sic inopinato perimi nec credula fato,  
 13 proiciens extra cuneum, femur angit et exta,  
 14 liquerat immissum quem truncum sector in ipsum.  
 15 Cujus opus stultum rediens ne linquat inultum,  
 16 verbere cum verbis super hanc his instat acerbis :  
 17 "Dic, age : qua causa sic sunt tua viscera clausa ?  
 18 Non est naturae, tibi sint ut talia curae".  
 19 Tristis ad haec inquit : "Mea me dementia strinxit,  
 20 tale per inventum benefacta relinquo parentum".  
 21 Providus accuret sibi lector, ut ista figuret  
 22 officiumque sequi naturae, juris et aequi ;  
 23 sitque dehinc cure patrum sibi vivere jure,  
 24 ne cupidus sector, hominumque sub infima vector,  
 25 intra scissuras solitas nos claudere curans,  
 26 callidus illudat, sub Tartara nosque retrudat  
 27 suppliciis dignis astrictos vindicis ignis,  
 28 quo male gestorum nos sero denique morum  
 29 paenitet, et frustra, digressos lege vetusta.

DE DUOBUS URSIS ET REGE EORUM.

B\_9 v.1 Gratos esse parum coram se rege ferarum  
 2 sunt duo conquesti nimis ursi, mutuo maesti.  
 3 Cui sint ut cari, ceperunt talia fari,  
 4 major, ut est moris, factus suadela minoris :  
 5 "Cur non eniti volumus famulamine miti,  
 6 simus ut huic grati, jubet ad quaecumque, parati ? "  
 7 Quem minor hortatur, ne quid sibi tale loquatur :  
 8 "Propria sectemur magis huic quam sic famulemur".  
 9 Major, ut ignavus, nequiquam talia suasus  
 10 instat, ut e cunctis, fuerant tunc quae sibi, junctis  
 11 aequalis, librae sub pondere, pars sit utrique.  
 12 Qua minor accepta, laetus redit in sua saepta,  
 13 integra servando sua semper et amplificando.  
 14 Major, collegis ut par sit ad omnia regis,

15 quicquid habet census, dat eis sic intimus ejus,  
 16 plus aliis factus sibi consiliarius aptus.  
 17 Ob quam rem miram gregis istius unus, in iram  
 18 actus, torquetur, quod sic novus ursus ametur ;  
 19 quem nimis astutum perhibent sic esse locutum :  
 20 "Proximus est, o rex, homini magis austure sorex ;  
 21 hunc tamen inventum studet ocius esse peremptum.  
 22 Accipitrem blando moderamine nutrit ovando  
 23 atque manu missum revocat cito nutibus ipsum".  
 24 Coeperat interea bos hac mugire platea.  
 25 Qua novitate soni prius hac regione leoni  
 26 prorsus inaudita, pelli timet arce potita.  
 27 Ne formidandum sit ob haec sibi vel dubitandum,  
 28 admonet ursus herum tali sub imagine rerum :  
 29 "Vis metuenda parum, vox est ubi tanta minarum.  
 30 Arbore suspensus uter olim, flamine tensus,  
 31 ut terreret aves, crepitus jactabat inanes.  
 32 Hic quoque fit terror vulpi, dum nescit, et error ;  
 33 quem pede dum tangit sollers et dentibus angit,  
 34 intus inanescit, vis illa tumoris ut exit".  
 35 Cui non credenti regnoque sibique timenti,  
 36 urso dante fidem, bos supplex ducitur idem.  
 37 Cui tam sincere studuit per cuncta placere,  
 38 ne comes huic rursus foret iste miserrimus ursus,  
 39 quodque fuit pejus, complexibus excidit ejus.  
 40 Victus ad extremum per tanta pericula rerum,  
 41 se doluit frustra liquisse domestica lustra,  
 42 denique certatim satagit sua commoda statim,  
 43 ad modicum factus par fratris et ipsius actus.  
 44 Ut fore discatis contenti jure paratis,  
 45 haec vos ursorum doceant figmenta duorum,  
 46 ne, quae sunt extra, faciant vos linquere vestra.

DE COLUMBA, MURE, CORUO, TESTUDINE ET CAPREOLO.

B\_10 v.1 Summa columbarum, licet in grege dux sit earum,  
 2 rite per antiquum murem sibi fecit amicum.  
 3 Quae velut incautae legerent dum semina caute,  
 4 arte solo jactis cohibentur retibus artis ;  
 5 cumque laborarent, ut se simul inde levarent,  
 6 antra petunt muris quodam sub caespite ruris.  
 7 Quas ibi mus volui miserans, parat inde resolvi,  
 8 cassibus abrosis solito sibi more dolosis.  
 9 Qua specie facti corvus testudoque capti,  
 10 In supradicti sunt foedere soricis icti.  
 11 His simul unitis, datur huic id solvere litis :  
 12 censeat ut gnarus, quid largo distet avarus,  
 13 inter eos ortum, quod adhuc contingere portum  
 14 non poterat tutum, fuerat nec ante solutum.  
 15 Haec responsa catus mus reddidit ille rogatus :  
 16 "Horrea cujusdam cum muribus ipse quibusdam  
 17 ingrediens quondam, vas plenum semine quoddam  
 18 cum sociis scandi, nec erat locus hic penetrandi ;  
 19 pars igitur nostrum solito magis undique rostrum  
 20 imprimit et mandit multoque foramine pandit.  
 21 Vas quoniam largi fuerat sine tegmine spargi,  
 22 non fuit his menti, sed ali de vase fluenti.  
 23 Sic manet intactum prius in nihilumque redactum".  
 24 Quorum capreolus, fugiendo per avia solus,  
 25 foedus init, subitusque sinit, mox rete subivit ;

26 cumque moras vinctus pateretur longius intus,  
 27 paenitet afflictum sic foedus id esse relictum.  
 28 Mus tamen ille vetus, sociis succurrere suetus,  
 29 hunc venatoris statuit dissolvere loris.  
 30 Qui, dum perverse raptus foret ante super se  
 31 dumque superbiret, quod cunctis fortior iret,  
 32 jam facile captus, tam paene repente subactus,  
 33 omne suum sane didicit fore robur inane.  
 34 Hoc tibi commentum, lector, sit ut in monimentum :  
 35 sic adeo noli tibimet confidere soli,  
 36 cuilibet ipse pari contempseris ut sociari,  
 37 sed nec amicorum cuiquam tamen inferiorum ;  
 38 nam quod neglectum solet et procul esse rejectum,  
 39 summam saepe satis vim continet utilitatis.

DE BUBONIBUS ET CORUIS.

B\_11 v.1 Junxit eo torvos bubonibus unio corvos,  
 2 ut possit dici, stabiles jam sint quod amici ;  
 3 sed, velut est moris bubones noctis in horis  
 4 fortiter impelli magis ad certamina belli,  
 5 arce suae sedis communis et ante quietis  
 6 turpiter hos pellunt, nidos et ab arbore vellunt.  
 7 Sic grex corvorum superatus viribus horum  
 8 ante suum regem petiit super his sibi legem.  
 9 Mox percontatur rex, qualiter hos tueatur,  
 10 praesidio Martis vel spe cujuslibet artis.  
 11 Unus ad hoc fatur, qui doctior esse putatur :  
 12 "Hinc assentemur, quo non licet, ut minitemur.  
 13 Palma datur quando magis assentamine blando ;  
 14 nam, si luctemur, superari posse veremur.  
 15 Est in luctando fatum variabile quando,  
 16 et gladius nunc hinc, aliquando saevit et illinc.  
 17 Saepe fit, ut nostis, quod transfuga praeda sit hostis.  
 18 Si facimus pactum, nostrum decus est male fractum ;  
 19 blandimenta precum vertunt in candida taetrum.  
 20 His reor ulcisci facti discrimina prisca".  
 21 Ipse dehinc corvus, laeso quasi corpore prorsus,  
 22 squalidus et tristis, bubonibus incipit istis,  
 23 prostratus terrae, sua quaeque pudenda referre :  
 24 "En miserandus ego, maciae confectus et aevo !  
 25 Quo mihi pergendum dubito, vel quid sit agendum.  
 26 Quis mihi tecta dabit, defectaque membra juvabit ? "  
 27 Cujus molliti bubones fame miti,  
 28 hunc secretorum socium fecere suorum,  
 29 crebroque ducebant, ubi nidificare volebant.  
 30 Cumque locus cryptae nulli superabilis ipse  
 31 ante videretur, vinci tamen arte docetur.  
 32 Quod queat ut credi, facit hic, qui praesidet edi,  
 33 pandit et id totum, soli quod erat sibi notum,  
 34 hocque docet signo, quid agatur ab hoste maligno :  
 35 "Si fruticum fragmen volucrum deduxerit agmen  
 36 unguibus aut rostris, solus patet hic ubi postis,  
 37 moxque datis lignis aliis si subditur ignis,  
 38 hac cadet arte doli domus ista suique coloni."  
 39 Credulus hic ales rediens docet ista sodales.  
 40 Corvorum coetus, satis hoc hortamine letus,  
 41 ore ferens stramen caveae brevis ante foramen.  
 42 Qua simul inventi fuerant sub nocte silenti,  
 43 ussit eos digne, succenso deforis igne,

44       indiciis horum, sic dedecus ultus avorum.  
 45       His decet auditis, ut mitius ire velitis  
 46       hac ope virtutis, spes est ubi nulla salutis.  
 47       Ne confidatis secreta, nec his retegatis,  
 48       cum quibus egistis pugnae discrimina tristis !

DE SIMIA ET TESTUDINIBUS.

B\_12    v.1     Sede sui regni jam simia corpore segni  
           2     pulsa vagabatur, quaerens ubi pauper alatur.  
           3     Tandem, lustratis regionibus undique latis,  
           4     alta petit ficus, qua victus habetur amicus.  
           5     Qua vicina mari cupiens testudo cibari,  
           6     quod cecidisset humi, sibimet studet anxia sumi.  
           7     Sic sub amore pari statuunt hac sede morari,  
           8     unanimes factae, dapis hujus gaudia nactae.  
           9     Quam traxisse moras longae regionis ad horas  
 10        ejus amica dolens, comitemque relinquere nolens,  
 11        mittit collegam, sibi quae se nuntiet aegram,  
 12        nec fore cujusquam sibi spem medicaminis usquam,  
 13        idque referre monet, si cor sibi simia donet,  
 14        arte salutari sic se cito posse juvari.  
 15        Facta dehinc tristis conchis terroribus istis,  
 16        sedulitate precum rogat hanc deducere secum.  
 17        Quam sic hortatur, hac fraudis et arte precatur :  
 18        "O mi fida comes dulcisque per omnia fomes,  
 19        munere cujus ego jam longo tempore dego,  
 20        hactenus his largis quas ficubus arbore spargis,  
 21        atque tuis micis tecum refovebar amicis !  
 22        Haec jam sicca negat fructus, quos ferre solebat,  
 23        nullaque spes vitae regione sub hac fit utrique.  
 24        Ad loca nostra veni, victus ubi dantur amoeni.  
 25        Si venies ergo, nostro gestabere tergo,  
 26        tutaque prorsus eris, dum sic suspensa veheris".  
 27        Credula promissis supra mare fertur ab ipsis ;  
 28        cui procul a ripa loquitur testudo perita :  
 29        "Uxor, amica, vetus multis jacet aegra diebus ;  
 30        cujus erit pesti cor, ut asserit, utile vestri :  
 31        quod si mittatur, languor procul inde fugatur".  
 32        Huic tantae fraudi quid provida dixerit, audi :  
 33        "Non erat id mecum, dum sic eo per mare tecum ;  
 34        alta super fici quod nuper ut inscia liqui ;  
 35        tutius huc aequae si me revehatis utraeque,  
 36        vos sequar absque mora, repetet cor ut interiora".  
 37        Sic redit illa dolis, remanentibus his ibi solis.  
 38        Quae percontantes, cur non comitetur amantes,  
 39        ceu condixerunt, delusas se doluerunt.

DE VULPE, LEONE ET ASINO.

B\_13    v.1     Errantem per agrum vulpes derisit onagrum,  
           2     quem pro laude soni vesci dedit illa leoni ;  
           3     qui sit ut illusus, referam lectoris ad usus.  
           4     Nam cum sensisset, famis hic quod mole perisset,  
           5     more suo ludens, retulit sibi talia prudens :  
           6     "Si sine corde feram nec habentem lumina dedam,  
           7     dic, si vesceris, qua me cito dante frueris ? "  
           8     Cui cum dixisset se mandere, quaeque dedisset,  
           9     protinus impelli cor ad hoc male suasit aselli,

10 ipsius ut blanda prece currat ad oscula danda ;  
 11 digna repentinae fuit huic quod causa ruinae.  
 12 Mox leo, consumpto jam paene cadavere cuncto,  
 13 dum cor habere nequit, aures et lumina quaerit,  
 14 subdola jam pridem vulpes quae dempsit eidem.  
 15 Talia quaerenti, nec se reperisse dolenti :  
 16 "Non aliquem culpes", respondet subdola vulpes,  
 17 "non sic deceptus, nec tam foret ultro profectus,  
 18 si praedictorum frueretur quolibet horum".  
 19 Noverit ille sibi solummodo talia scribi,  
 20 mente quidem captum quem constat ad utile factum ;  
 21 quem si forte peti contingat imagine leti,  
 22 si cor inanescat, aures oculusque patescat,  
 23 sub specie pacis ne corruat arte fugacis.

DE VULPE ET LEONE.

B\_14 v.1 Mons erat ad pastus animalibus uber et aptus ;  
 2 sed dominantis heri datur hunc vis tanta tueri,  
 3 prosit ut omnino generi nihil inde ferino.  
 4 His obstante bonis ditione metuque leonis,  
 5 quo terrore ferae metuentes prorsus egere  
 6 perpetuoque pati victus sibi damna negati,  
 7 quaque die dandam statuunt sibi mutuo quamdam  
 8 totius esse gregis pro tanti numine regis.  
 9 Forte die quadam vulpes ait : "En ego vadam ;  
 10 idque licet nolim, quoniam sors obtulit olim,  
 11 protinus impendam me morsibus ejus edendam".  
 12 Quae dum sic iret, quo pacto fallere quiret,  
 13 hunc meditatatur herum solita vertigine rerum,  
 14 huicque propinquando fert talia fame blando :  
 15 "Huc ego mittebar, veluti pro sorte videbar  
 16 jussa, ferens mecum censum, dare quem fuit aequum,  
 17 scilicet agnellum pinguem satis atque tenellum ;  
 18 quem leo, praedo ferox, rapuit mihi, maximus heros,  
 19 meque renitentem, sibi nec parere volentem  
 20 non sine tormento laniavit dente cruento ;  
 21 sed vulpina caro gustu quia foetet amaro,  
 22 hanc post vindictam me deserit utpote victam".  
 23 Quod ratus ulcisci leo dedecus, haec ait ipsi :  
 24 "Dic, rogo, si nosti, locus est ubi certior hosti".  
 25 "Ecce lacuna vetus", vulpes ait, "est ubi suetus,  
 26 hunc ubi praedonem poteris punire leonem".  
 27 Cumque propinquaret lacui, quo dicta probaret,  
 28 hunc putat introrsum, sua dum nat imago deorsum.  
 29 Inde nec impune petit impiger ima lacunae,  
 30 sed ratione perit, dum rem sub imagine quaerit.  
 31 Sic evaserunt animalia, quod timuerunt,  
 32 vulpis et hoc sensu sunt omnia libera censu.  
 33 Ad dominantis onus ad danda tributaque pronus  
 34 amodo quisquis eris, quid agas, hac arte doceris ;  
 35 nam si quid molis pateris, quod pendere nolis,  
 36 cautius est astu quam te defendere fastu.

DE REGE ET DUOBUS PULICIBUS.

B\_15 v.1 Caesaris in lecto, niveo velamine tecto,  
 2 sexquipedem letum perhibent requiescere suetum,  
 3 sanguine cujus ali quem mos erat absque sodali.



4 Qui tantum vivum metuens contingere divum,  
 5 membra jacentis heri lingeat acumine leni.  
 6 Gaudia tanta pulex fore maxima commoda ducens,  
 7 postulat, (horarum) socius sit ut ipse bonarum :  
 8 "Condicione pari potes", haec ait, "ipse morari."  
 9 Qua sibi lege data, fruitur statione rogata.  
 10 Intrat nocte torum posthac rex nescius horum ;  
 11 lenis ut inprimis venis sopor influit imis,  
 12 inde pulex mordax, magis irrequietus et audax,  
 13 corpus obit rostro, tectum regale sub ostro,  
 14 tamque frequens saevit, dum somnum prorsus ademit.  
 15 Expulit a tergo rex pallia protinus ergo ;  
 16 his procul excussis, astantibus illico jussis,  
 17 Retro dedit saltum novus incola, lapsus in altum ;  
 18 est tamen inventus pedo, pro consorte peremptus.  
 19 Sic tandem laetus rex et pro velle quietus  
 20 somnum rursus init, procul hinc ferus hostis ut ivit.  
 21 Discat ad hoc mitis cupidum contemnere litis,  
 22 Aequus et est, si quis caveat, sicut hospes iniquis,  
 23 ne simul utcumque perimi contingat utrumque  
 24 suppliciis dignis pro factis forte malignis.

DE CORVO ET ANGUE.

B\_16 v.1 Anguis erat suetus corvi consumere foetus ;  
 2 a quo se damno nullo cohibebat in anno.  
 3 Quod dum tale pati gravis esset sarcina patri,  
 4 luminibus tandem ratus est privaret ut anguem,  
 5 vel dum dormiret, aliter si forte nequiret.  
 6 Cujus vir quidam tantam compescuit iram,  
 7 dum praesensisset, temptare quod id voluisset ;  
 8 sicque dehortatur, ne tale quid aggrediatur :  
 9 "Quod reputas, durum nimis est et inane futurum,  
 10 ne patiaris idem, quod avis temeraria pridem,  
 11 cujus ad exemplum sibi praecipit esse cavendum.  
 12 Victus ad extremum maciae segnisque per aevum  
 13 scorpio, capturae spe deficiente future,  
 14 cogitat, ut saltem vivat per quamlibet artem.  
 15 Continuos pisces, ut alatur, fallere gliscens,  
 16 his, sicut antique licet, insidiatur inique.  
 17 Ut malefactorum se paenituisse priorum  
 18 proderet, astutus sic est ex more locutus :  
 19 "Tempus adest dici, quod vobis prosit, amici.  
 20 Cras piscatores per cunctas has regiones,  
 21 se vos capturos minitantes, constat ituros ;  
 22 nec vestrum rimis sic quisque latebit in imis,  
 23 ut piscatorum laqueos evadat eorum.  
 24 Ut tuti sitis mecumque venire velitis,  
 25 in terram tutam facili vos tramite ducam ;  
 26 vosque meo collo duo nunc, simul et duo, tollo."  
 27 Quos ita ducendo, sic semper et hos comedendo,  
 28 deliciis magnis hac vixit fraude tot annis.  
 29 Tum volucrum quaedam sectari nescia praedam,  
 30 unguibus et pennis ac toto corpore segnis,  
 31 sic se sustolli prece flagitat invida molli.  
 32 Quam patulis chelis precibus tulit ejus anhelis ;  
 33 cumque lacum quemdam, quo se putat esse ferendam,  
 34 tanti latronis procul aspexisset in oris,  
 35 ossaque cum spinis quam plura jacere sub imis,  
 36 se metuente mori, cum sit locus ipse timori,

37 incubens hosti, laniabat acumine rostri ;  
 38 mox sed ab obscaeno cadit ipsius icta veneno :  
 39 hostis it illaesus, volucer perit ipse comesus.  
 40 Tale quod exemplum tibi, corve, sit ut documentum,  
 41 quo punire modo valeas tua pignora, prodo :  
 42 quemlibet ornatum videas, ubicumque paratum,  
 43 qui tamen ore geri bene possit et usque videri,  
 44 providus assumens planumque per aera ducens,  
 45 ad loca jactabis serpentis et inde volabis".  
 46 Quod cum fecisset, post hunc speculator et isset,  
 47 hoc ornamento sumpto, redit, angue perempto,  
 48 suaviter antiquum corvum sic ultus amicum.  
 49 Quisquis erit lector, vitae sit ut amodo rector,  
 50 exteriora legat, sua semper et intima quaerat  
 51 et, quacumque via valet, instet in allegoria,  
 52 quae vinci monstrat levius ratione, quod obstat,  
 53 inmoderatarum quam garrulitate minarum.

DE UIRO ET UASE OLEI.

B\_17 v.1 Uxor ab antiquo fuit infecunda marito.  
 2 Maestitiam cujus cupiens lenire vir hujus,  
 3 his blandimentis solatur tristia mentis :  
 4 "Cur sic tristaris lamentis, uxor, amaris ?  
 5 Pulchrae prolis eris satis amodo munere felix".  
 6 Pro nihilo ducens haec conjux talia prudens,  
 7 his verbis plane, quod ait vir, monstrat inane :  
 8 "Rebus inops quidam, fatuumque plus tibi dicam,  
 9 vas olei plenum, quod longum retro per aevum  
 10 legerat orando, loca per diversa vagando,  
 11 fune ligans arto, tecti suspendit in alto,  
 12 dum praestolatur tempus, quo pluris ematur,  
 13 quo locupletari se sperat et arte beari.  
 14 Talia dum captat, haec stultus inania jactat :  
 15 "Ecce potens factus, fuero dum talia nactus !  
 16 Vinciar uxori, quantum queo, nobiliori ;  
 17 tunc sobolem gignam, se meque per omnia dignam,  
 18 cujus opus morum genus omne preibit avorum.  
 19 Cui nisi tot vitae fuerint insignia rite,  
 20 fustis hic absque mora feriet caput ejus et ora".  
 21 Quod dum narraret, dextramque minando levaret,  
 22 ut percussisset puerum, quasi presto fuisset,  
 23 vas in praedictum manus inscia dirigit ictum,  
 24 servatumque sibi vas illico fregit olivi,  
 25 sic inopinatum deflens miserabile fatum :  
 26 "Heu ! quid inops egi ? Quo memet opesque redegisti ?  
 27 Quos male tractavi, dum nescius ista putavi,  
 28 stultitiaeque minae sunt hujus causa ruinae".  
 29 Quod vir ut audivit, surrexit et obvius ivit,  
 30 verberet ut sponsam fari sibi taliter ausam.  
 31 Quae mox hunc digne percussit verbere linguae :  
 32 "Haec tua te multum monstrat presumptio stultum.  
 33 Ante cecidisti, qui me tam vulnere tristi,  
 34 quam vestigares, quod in hoc tibi, stulte, notares.  
 35 En patior, muri domini quod tempore duri  
 36 contigit insonti, perimit quem verbere conti.  
 37 Cujus in aede nigrum perhibent habitasse chelidrum,  
 38 indidit, ut credo, cui nomen et ipsa nigredo ;  
 39 scandere qui suerat puerum, quem mater alebat.  
 40 Quo mus invento, superastat dente cruento ;

41 protinus exsanguis perit ejus morsibus anguis  
 42 filioli caedem genitor putat, intrat ut aedem,  
 43 morte ratus dignum per sanguinis hunc fore signum ;  
 44 membraque frustatim jacit extra limina statim.  
 45 Sed postquam scivit, soboles quoniam sua vivit,  
 46 indoluit prorsus, facinus quod id esset adorsus.  
 47 Tandem correptus rationibus his vir ineptus,  
 48 sensit in exemplis mulieris tam sapientis,  
 49 inscitiae quantae tempus censere sit ante,  
 50 vanaque sectari, sectandaque non meditari,  
 51 ac nisi post culpam de quoquam sumere mulctam.

DE MURE ET GATTO.

B\_18 v.1 Qua disjungatur vel qua ratione ligatur  
 2 foedus amicorum, rex quemdam philosophorum  
 3 consulit, ut gnarum rerum specialiter harum.  
 4 Pectore prudenti cui rettulit ista petenti :  
 5 sunt contra morem, simulant qui pacis amorem,  
 6 rebus coepta malis cum sit dilectio talis.  
 7 Mus colitur cato, sed ad hoc, ut tempore capto  
 8 hac specie pacis sit praeda cibusque rapacis.  
 9 Cujus dum fauces artaret callidus auceps  
 10 insitus et reti foret in discrimine leti,  
 11 accedens juxta, mus temptat solvere frustra ;  
 12 nam mustela retro stat buboque lumine taetro,  
 13 quos constat vere mures ex more timere.  
 14 Catus, ut antiquos muris videt hos inimicos  
 15 ejus ad interitum juxta concurrere ritum,  
 16 supplex implorat, veniens ut retia rodant :  
 17 si foret exclusus, fieret sibi maximus usus.  
 18 Famine quem blando permulcet talia fando :  
 19 "Quae nocitura times, ut, amice, pericula vites ?  
 20 Ore meo ducam te leniter, utpote ludam,  
 21 nec patiari mali quicquam gestamine tali.  
 22 Id nam spectantes, raptores te prope stantes,  
 23 ut jam desperent, dum sic portabere, cedent".  
 24 Quod mus dum credit, laqueos ex more peredit,  
 25 liber et exivit mox catus, ut ante petivit,  
 26 impatiensque morae murem complectitur ore.  
 27 Qui cum clamaret, graviter quia se cruciaret,  
 28 respondit catus, id agat quod amore coactus  
 29 juxta promissum ; se laedere denegat ipsum,  
 30 excusans tali sese ratione sodali :  
 31 "Quid me causaris ? De dentibus ipse queraris,  
 32 a quibus artari te constat et excruciarum.  
 33 Numquid habent dentes aures oculosque patentes  
 34 ut capiant quaestus, quos jactas pectore maestus ?  
 35 Dentibus ecce feris jam protinus excrucieris  
 36 inque meum ventrem duceres, dente carentem ! "  
 37 Talia dicendo, miserum suffocat edendo.  
 38 Arte doli tanti perit hic confisus amanti.  
 39 Spernite, lectores, tales simulantis amores,  
 40 pollicitis oris, quamvis videantur amoris,  
 41 nec confidatis, ne forte per hoc pereatis.  
 42 Verba quidem mellis sunt plena, sed intima fellis,  
 43 in quibus est nusquam fidei spes certa quibusquam ;  
 44 his qui confidit, mus dictus ut ante, peribit.

## DE UIRO, DRACONE ET SIMIA.

B\_19 v.1 Ut cesset quaeri, melius quid ubique videri  
 2 viventum possit, pejusque quid omnibus obsit,  
 3 fabula philosophi liquido manifestat Esopi.  
 4 In qua monstratur, homo saepe quod inveniatur  
 5 deterior brutis, proprie magis atque salutis  
 6 immemor, auctoris curaeque fuisse minoris ;  
 7 idque docet verum ficta sub imagine rerum.  
 8 Per nemorum sentes draco, simia, vir fugientes,  
 9 ictu fortunae cecidere sub ima lacunae.  
 10 Quos ubi venator, loca tunc secus ipsa viator,  
 11 forte sub immundo stratos videt esse profundo,  
 12 tantae molis onus sursum levat illico pronus,  
 13 incolumes extra deducens remige dextra.  
 14 Protinus emersi, sunt in sua quique reversi.  
 15 Ut nemus intret idem, posthac contingit eidem  
 16 cum canibus rursum procul indagantibus ursum.  
 17 Cui spe venanti, famis anxietate vaganti,  
 18 mel tulit inventum, quod dulce sit huic alimentum,  
 19 pro benefactorum vice simia praeteritorum ;  
 20 duxit et ore draco gemmis auroque meraco  
 21 ornatum sertum, sibi regis in arce repertum.  
 22 Quod vir ut hic dignus sumpsit memorabile pignus,  
 23 indicat huic fabro, puteo quem traxit ab atro,  
 24 namque ferebatur, catus inde quod hic habeatur.  
 25 Cujus amore pari se postulat arte levare.  
 26 Nam, quoniam prisci facti putat hunc reminisci  
 27 et meminit, quantae fidei sibi per nemus ante  
 28 in sua vota fere, quas juverat, ultro fuere,  
 29 auxiliatorem sibi credidit hunc meliorem ;  
 30 cui memorabat, uti fuit ejus praesto salutis.  
 31 Quo faber inspecto regisque per atria vecto,  
 32 asserit obnixae, diadema quod abstulit ipse.  
 33 Cujus rex verbis, furiis accensus, acerbis  
 34 jussit, ut est moris, furem concidere loris ;  
 35 cumque diu cesus sic esset et undique laesus,  
 36 se petit audiri post facti verbera diri.  
 37 Narrat et exsanguis, sibi qualiter id tulit anguis,  
 38 Totius atque rei seriem nomenque diei,  
 39 quem stupet immiti sibi tam nunc mente reniti,  
 40 et dolet infecti furti se crimine plecti.  
 41 Cujus onus colli dissolvunt hac prece molli.  
 42 Quem rex, ceu norat meruisse, decenter honorat,  
 43 aurificem dandum praecepit et ad cruciandum,  
 44 ut falsi testis det poenas pro male gestis.  
 45 Quisquis enim fodit foveam, quem subdolus odit,  
 46 atque repentinam parat huic inferre ruinam,  
 47 juxta psalmistam foveam prius incidit istam,  
 48 per quam punitum constat scelus ante cupitum.

## DE FURE IN TESTIMONIUM ARBOREM INUOCANTE.

B\_20 v.1 Cum duo vicini foderent secus arva Ticini,  
 2 his auri plenum casus patefecit aenum.  
 3 Qui minor est horum, nituit spectamine morum ;  
 4 alter ad omne scelus fraudis fore fertur anhelus.  
 5 Hic reputans secum, collegam fallat at aequum.  
 6 Vota sui cordis tegit hoc sub tegmine fraudis :

7 "Infodiamus humi noti sub caespite dumi,  
 8 quicquid fortuna tribuente recepimus una".  
 9 Mox id ut utrisque placuit, redit in sua quisque.  
 10 Callidus, huc docte veniens ea tollere nocte,  
 11 gesserat ex toto, socio procul inde remoto.  
 12 Mane dehinc facto, sic secum tempore pacto  
 13 mitis adhortatur, communiter huc ut eatur.  
 14 Quo dum venissent, id munus ut inde tulissent,  
 15 undique lustrando, telluris et ima cavando,  
 16 se male deceptos deflent, nihil intus adeptos ;  
 17 quique fuit tantae fraudis sibi conscius ante  
 18 invidiae naevo primo maculatus ab aevo,  
 19 imposuit fratri furti scelus omne patrati,  
 20 quodque sibi prorsus hic nocte tulisse sit ausus.  
 21 Cumque repugnaret, sub iudice seque rogaret  
 22 leniter audiri, scelus hoc et utrimque requiri,  
 23 major eum natu, proprio cogente reatu,  
 24 arguit indigne sceleris fraudisque malignae.  
 25 Cui sic respondit, mox talia censor ut audit :  
 26 "Dic mihi, si testis sit quislibet his male gestis".  
 27 Ille vir haud aequus aurique cupidine caecus :  
 28 "Haec" ait, "arbor erit testis, qui talia quaerit,  
 29 tegmine sub cujus vas auri teximus hujus.  
 30 Huc proficiscamur, si vis, ut id experiamur".  
 31 Hujus enim rixae fuerat quia praescius ipse,  
 32 arbor et introrsum summo tenus usque deorsum  
 33 tota putrescebat medioque foramen habebat,  
 34 ejus in interna concluderat ante caverna,  
 35 quaeque rogaretur, qui falso testificetur.  
 36 Huc ad conflictum properant, erat utpote dictum.  
 37 Hac ope munitus, hac semper et arte potitus,  
 38 Perfidus ut primum venit arboris hujus ad imum,  
 39 dissimulando rogat, scelus arbor ut hoc sibi prodat.  
 40 His puer inclusus perhibetur vocibus usus :  
 41 "Aeris hic inventi socius tibi nocte silenti  
 42 improbus huc venit, clam prorsus et illud ademit".  
 43 His ait auditis mentis vir ad omnia mitis :  
 44 "Crimen ut hoc fraudis pateat, quod taliter audis,  
 45 arbiter, objectum mihi fac, quod cogito, rectum :  
 46 hoc sit ut arbustum flammis ultricibus ustum".  
 47 Quod cum jussisset flammam circumtulisset :  
 48 "Quis" ait, "iste furor ? Pater, huc ades ! Intus aduror".  
 49 Mox pater et natus, censore jubente, crematus  
 50 jure dat has poenas, statuit quia sic alienas.  
 51 Sic qui vicinum sibi quemlibet aut peregrinum  
 52 laedere conatur, jus contra fasque minatur,  
 53 se graviore peti discat discrimine leti,  
 54 ut vice, qua mensus fuerat, sit et ipse remensus.

DE LEPORE, GATTO ET PARDO.

B\_21 v.1 Forte specum quamdam lepus olim nactus amandam,  
 2 vespere jam facto, subit hanc procul hospite cato.  
 3 Quo solitum juxta repetente domestica lustra,  
 4 ante sui postis stat limen, ut obruat hostis,  
 5 nec parcens irae vetat hunc sua tecta subire.  
 6 Sic altercantes, sibi saepe diuque minantes,  
 7 constituere queri sub pardo, iudice veri,  
 8 cujus censurae statuunt se subdere jure,  
 9 his utriusque minis stabilis quia mutuo finis

10 nullus habebatur, requies nec certa dabatur.  
 11 Legis enim rectae fuit ejus vita senectae ;  
 12 et licet hoc pardus sit tempore corpore tardus,  
 13 calliditate viget nec mentis acumine friget.  
 14 Ut veniunt, cuncta referunt, lis unde sit orta.  
 15 Quos hic affatur, dum sic censere rogatur :  
 16 "Quaerite censorem, quem constat ad hoc meliorem ;  
 17 namque per aetatem quemquam non judico fratrem ;  
 18 factus et antique monachus pro crimine vitae,  
 19 carnes detestor, foliis et gramine vescor ;  
 20 usque sub occasum solis nihil intrat omasum.  
 21 Crede mihi, tantum comedo, quod sit sacrosanctum,  
 22 ac mihi dicendi datur hora modusque tacendi.  
 23 Luminis effectus minuit mihi longa senectus,  
 24 cui solet appendi victus sub tempus edendi ;  
 25 meque potestatis propriae non esse sciatis,  
 26 sed dominantis heri sub jure jugoque teneri".  
 27 Tunc lepus et catus : "Quia sic", ait, "est tuus actus,  
 28 venimus huc ad te, liti modus hinc sit ut apte".  
 29 Ille suis technis non quemquam fallere segnis,  
 30 indoluisse datur super his, pius ut videatur,  
 31 instat et incautis verbis ad talia comptis ;  
 32 intus enim pungunt cum verba, forinsecus unguunt :  
 33 "Cernitis, ut dixi, jam jam mea membra fatisci ;  
 34 hujus et, ut scitis, nimis impar sum modo litis.  
 35 Tortus et obtusus stat nostri corporis usus ;  
 36 sensibus utatur qui talibus, ille petatur :  
 37 demus in amplexus vestros tamen ante recessus,  
 38 nosque salutemus et ad oscula danda paremus.  
 39 Sicque valedicto, me protinus ite relicto ! "  
 40 Mox amplexantes semet, sed et oscula dantes,  
 41 pacis in hoc signo perierunt dente maligno,  
 42 stultitiaeque ferunt poenas, quas tunc meruerunt.  
 43 Cognita stultorum post talia facta duorum,  
 44 cui non est curae, sit in his vis quanta figurae,  
 45 se quoque seduci sciat hac sub imagine fuci,  
 46 condicione pari dignus quandoque necari.

DE CAMELO, CORVO, LUPO, URSA ET LEONE.

B\_22 v.1 Principis ignari nimium camelus avari  
 2 ferre verebatur sibi jus grave, qui dominatur,  
 3 spe brevioris boni cupiens servire leoni  
 4 inferioris heri quam comptus honore videri.  
 5 Mente quidem voluit dum talia, debita solvit  
 6 praesidis antiqui sibi juris et ejus iniqui.  
 7 Cujus inane decus reputans sibi transfuga caecus,  
 8 sub ducis electi statuit moderamine necti,  
 9 imperiumque pati magis ejus ad omnia grati.  
 10 Ad quem captandum leo se pro tempore blandum  
 11 finxit, ut est moris, ubi spes rudis extat amoris ;  
 12 cui dedit, ut forti, propriae superesse cohorti,  
 13 ejus et ipse gregis sit censor munere regis.  
 14 Hic tantus princeps senio morboque deinceps  
 15 fertur eo fractus febriumque rigore coactus,  
 16 ut solitae praedae studio non surgat ab aede,  
 17 ne quid fomenti valeat dare cuique clienti.  
 18 Dumque fame, siti corvus, lupo, ursa, ministri  
 19 ejus, tunc aequae premerentur nocte dieque,  
 20 hoc ineunt foedus, fallatur ut iste camelus ;

21 hoc qui fecisset, jurant dare, quaeque petisset.  
 22 Corvus, ut est moris fore gutturis improbioris,  
 23 sic parat ac tutum pecus hoc deludere brutum :  
 24 "En jacet aegrotus parvo leo tempore notus,  
 25 cujus, ut ipse vides, desunt ad fortia vires !  
 26 Pulcher es et gnarus, menbris et origine clarus :  
 27 dignus es et fortis caput hujus habere cohortis.  
 28 Quo duce cognoscit mox, qualiter hic fore possit.  
 29 En" ait, "audisti, domino quid contigit isti,  
 30 utque sit ad regni moderamina corpore segni,  
 31 viribus effetis sibi prorsus ad omnia suetis.  
 32 Huc indefessus confestim dirige gressus ;  
 33 post quem regnabis, si fortiter hunc superabis.  
 34 Talia velle pati tecum sumus ire parati,  
 35 teque juvaturi super haec prius et ruituri,  
 36 si demum nostri dominaberis, utpote nosti,  
 37 collaque tam lenis domini subdemus habenis".  
 38 Credulus huic fraudi reputat sibi quod fore laudi,  
 39 in spem regnandi ductus tam crimine grandi.  
 40 Ejus ab ore perit, quem sic male perdere quaerit,  
 41 tresque supradicti satiantur sanguine victi.  
 42 Mos est corvorum factis gaudere luporum ;  
 43 regnat ut ante leo, cadit ejus et iste tropheo.  
 44 Stultus ad hoc discat, ne sic indebita gliscat,  
 45 neve suo juri diffidat amore futuri,  
 46 sed propriae sortis stet semper munere fortis ;  
 47 namque vetustatem qui spreverit ob novitatem,  
 48 alterius zeli vice debet obire cameli.

DE ARIETE CANEM SIMULANTE.

B\_23 v.1 Custos non vilis canis olim regis ovilis  
 2 id fore securum faciebat ab agmine furum,  
 3 nec metuisse minas noctesque diesque lupinas.  
 4 Quo mox defuncto, gravis est dolor in grege cuncto ;  
 5 nam lupus, hostis atrox, nullo prohibente, per agros  
 6 inde solebat edax, quas vellet, ducere praedas.  
 7 Cujus ubique minis grex territus atque rapinis  
 8 cogitat, obsisti valeat quibus artibus isti.  
 9 Hisque simul mixtis, casus formidine tristis,  
 10 dum dubitaretur, super hoc quid ab his ageretur,  
 11 talia verba refert aries, qui se magis effert :  
 12 "Cura sit incidi tutoris cornua fidi,  
 13 me quoque pelle canis, procul hinc qui foetet inanis,  
 14 circumquaque tegi : vice sic fruar inde catelli".  
 15 Quo sic impleto, rediit lupus ordine sueto  
 16 temptat et illaesus, quid ut hinc sibi tollat ad esus.  
 17 Cujus conatus cohibens canis hic simulatus,  
 18 impiger accessit violentus eumque lacessit,  
 19 captus ut hac larva fugitando coinquinet arva ;  
 20 idque ter aggressus, redit irritus in sua fessus,  
 21 atque ter in mundo se stercore foedat eundo.  
 22 Cum properaret item sibi cum cane sumere litem,  
 23 hujus in occursum canis evolat utpote rursum.  
 24 Qui sic currentes per acutos undique sentes,  
 25 se male depectunt, iter alteruterque reflectunt.  
 26 Sic canis imbellis spoliatur tegmine pellis.  
 27 Dedecus illatum, longe famis et cruciatum  
 28 vindicat iratus lupus, est cui talia fatus :  
 29 "Cur totiens tristi formidine me repulisti ? "

30 "Non ob terrorem, sed ludi propter amorem  
 31 hoc" ait," est factum, quod te sic reris abactum".  
 32 "Esse fugam foedam ter" ait, "ludibria credam ;  
 33 amodo ne fallas, tua memet ut hoc modo Pallas,  
 34 quemquam majorem, parilem velut inferiorem,  
 35 carnem tam vescam dabis esurientis in escam".  
 36 Sic simulatores variant cum tempore mores.  
 37 Menti sinceræ nequeunt huc usque nocere,  
 38 quin ad momentum sit eis opus illud ademptum ;  
 39 et qua grassantur, qua fraudis et arte minantur,  
 40 hac hos non mire contingit jure perire.

DE VULPE ET LUPO.

B\_24 v.1 Quando per ima freti solito vulpecula reti  
 2 aucta solebat ali captu saepissime tali.  
 3 Quam lupus affatur, dum piscibus his epulatur :  
 4 "Pars sit jejuno de tot mihi, pisce vel uno,  
 5 dulcis amica, precor, quos sic piscare per aequor".  
 6 "Dedecus hoc absit", vulpes ait, "ut tibi pars sit,  
 7 piscibus exesis, ac his jam caumate laesis,  
 8 cum potes arte pari, tibi me monstrante, lucrari.  
 9 Hoc modo majores capies satis ac meliores,  
 10 si consulta velis tibi credere jure fidelis :  
 11 alveolum caudae tibi, si placet, hic sine fraude  
 12 hac vice subnectam, qua constat me modo vectam ;  
 13 ad libitum pisces capies, si talia disces".  
 14 Quod cum fecisset, sic nexus ovansque preisset,  
 15 vas id paulatim saxis replet aemula statim,  
 16 sicque tegit limo, prope jam maris ut sit in imo.  
 17 Laeta dehinc villas partesque perambulat illas,  
 18 quas multis annis haedis vacuarat et agnis  
 19 ille ferox praedo magnusque frequensque comedo.  
 20 Qua moniti doni spe circumquaque coloni,  
 21 talia visuri, gaudent decedere ruri,  
 22 fustibus et tignis raptis, titionibus ignis,  
 23 ultio praedonis foret illius ut regionis,  
 24 tempore cum nacto valeant illudere capto.  
 25 Jamque sibi fracta cauda per talia facta,  
 26 effugit hanc poenam, cuperet dum plus alienam,  
 27 inventisque dolis sub aegri tecta leonis,  
 28 quem febrium pestis dolor excruciat in extis,  
 29 vimque sui morbi cuncto patefecerat orbi,  
 30 indicat huic crebro, quid prosit et ocuis aegro :  
 31 "Tergone si vulpis corpus circumdare vultis,  
 32 viribus ablati redigi sic posse sciatis".  
 33 Dum sic audiret rata vulpes, hoc ut adiret,  
 34 sorde volutabri se pulvere sparsit et agri :  
 35 "Audio me quaeri, dicor quia pelle mederi ;  
 36 foetida sed pellis ; hanc si fortasse revellis,  
 37 fomes erit pestis foris et dolor acrior extis.  
 38 At si pelle lupi, qui subjacet huic modo rupi,  
 39 cauda privati, medicaminis arte probati,  
 40 undique membra teges, mox sano corpore deges ;  
 41 cui caput atque pedes cum pelle relinquere debes  
 42 et vires priscas reparandas sic fore discas".  
 43 Quod vulpes monstrum dum sic videt ire deorsum :  
 44 "Sic cyrothecatus" ait, "ambulet et pileatus !  
 45 Ad poenam talem vult cogere quisque sodalem.  
 46 Sic eat et maestus per frigora, nudus, et aestus,



47 vermibus esca datus sic semper ad hos cruciatus".

DE VERVECIBUS ET COCO REGIS.

B\_25 v.1 Agmina vervecum communi foedere secum  
 2 viribus obniti statuerunt hostis iniqui,  
 3 clam vel forte palam si tantam laederet alam.  
 4 Cujus mane gregis geminos ad prandia regis  
 5 ac totidem cenae cocus aufert vi sine penae ;  
 6 deque prius mille gregis hujus id egerat ille.  
 7 Cumque requisissent, se foederis ut meminissent,  
 8 praesidioque pari socios par esse juvari,  
 9 his respondetur, quod eis nihil inde nocetur,  
 10 esse per hunc ritum nec eorum quemque petitem.  
 11 Taliter obliti sibi hosti velle reniti,  
 12 speque sub hac tuti, male consulere saluti ;  
 13 regis enim mensae solito dedit hos cocus ense  
 14 binos vel trinos nulloque nocente quaternos.  
 15 Ad minimam partem talem venere per artem,  
 16 quique remanserunt, agerent quid, ab his didicerunt ;  
 17 namque prius pactum recolentes tam male fractum,  
 18 condicione pari cuiquam timuere jugari,  
 19 tuta fides veri cum nusquam possit haberi,  
 20 in jam promissis etiam jurantibus ipsis,  
 21 atque supradicti tamen hi periere relictis,  
 22 nam quia cesserunt a foedere, quod pepigerunt,  
 23 nec sociae morti cogerunt pectore forti.  
 24 Vindicis ista pati meruerunt praemia fati,  
 25 jure figurantes, deceat quod semet amantes  
 26 quamlibet ad sortem mentem componere fortem.

DE CANE ET LUPO.

B\_26 v.1 Fertur ovile macer canis, olim viribus acer,  
 2 quoddam tutari jussu senioris avari.  
 3 Qui plus latrando quam morsu vulnera dando,  
 4 omne, quod obstabat gregibus, procul inde fugabat.  
 5 Sed quia, seu dixi, macies gravis inminet ipsi,  
 6 hostis in adventus occurrere sic macilentus  
 7 mente nequit prompta, nec quemquam laedere contra.  
 8 De grege sic multi periere frequenter inulti.  
 9 Mox ut id ignaro domino patet ejus avaro,  
 10 plus dedit huic victus, sit ut acrior hostis in ictus.  
 11 Quem lupo ut cernit, quod sic sua numina spernit,  
 12 ac tam velocem, solito magis atque ferocem,  
 13 convenit hunc blande : "Quid id est, dic, frater amande,  
 14 quod sic pinguescis, certamen et ultra capescis ?  
 15 Quod videare satur, fateor, per me quod agatur.  
 16 Nunc mea, non ut hebes, benefacta rependere debes :  
 17 quodlibet ergo pecus mihi fer, retributor ut aequus".  
 18 "Nil" ait, "expectes me ferre, quod hinc modo vectes,  
 19 cum dape non vili, studio satiatius herili,  
 20 pervigili cura servem pecus ipsaque rura.  
 21 Sed ne factorum puter immemor esse tuorum,  
 22 praesidio celeri scio me tibi posse mederi :  
 23 Hic prope namque penum quoddam patet, undique plenum,  
 24 huc proficiscaris, dapibus celer his ut alaris".  
 25 Quo lupo invectus et salsa carne refectus,  
 26 quicquid inest, ambit, telluris et humida lambit.

27 Dumque, quid hauriret sitiens, ibi nil reperiret,  
 28 ejus erat potus magis olim quam sibi notus.  
 29 Anxius impletur, vini satis hic quod habetur ;  
 30 utque die fausto laetus, quo clamat, hausto  
 31 omnimodisque jocos levat ebrius organa vocis,  
 32 se quoque more Getae fert tota per atria laete ;  
 33 perque suos gestus eo usque fit ipse molestus,  
 34 dum famuli tecti, cum fustibus ultro profecti,  
 35 crura pedesque ferae canibus convulsa dedere.  
 36 Quem sat jure datum reor illis ad cruciatum,  
 37 qui canis infesti sibi semper et ore molesti  
 38 credit adhortatus per falsae vocis hiatus.  
 39 Nulla fides hosti tibi sit, qui talia nosti,  
 40 prorsus et hostilis tibi sit persuasio vilis,  
 41 fraude necis dirae ne sic videare perire !

DE VIRO, CONIUGE ET MEDIATRICE.

B\_27 v.1 Vir, ratus uxorem quondam temerasse pudorem,  
 2 alloquitur plane vocis simulamine vanae :  
 3 "Cenam sumpturus, procul hinc satis, uxor, iturus,  
 4 non mea tecta petam, nec in hac te nocte quietam".  
 5 Vocibus his extra respondet talia maesta :  
 6 "Qua requie fungar, solita vice ni tibi jungar ? "  
 7 Quam vir adhortatur, comes ut sibi fida petatur,  
 8 per quam segura potiatur nocte futura.  
 9 Mox mediatrici praecepit, ut ejus amici  
 10 janua pulsetur, preparare nec ipse moretur.  
 11 Adveniensque cito, metuens ait : "Ipsa preito ;  
 12 cerne, quod introrsum sursumque sit atque deorsum".  
 13 Intrat ut haec tectum, nexam videt hanc prope lectum  
 14 conjugis, haerentem, flagris graviterque dolentem.  
 15 His stupefacta flagris rogat haec, quod sit mediatrix,  
 16 agnovitque citi redeuntis nocte mariti  
 17 immemorisque mero, biberat quod vespere sero,  
 18 nexibus astrictam, virgis tam turpiter ictam.  
 19 Sed cum novisset foris esse, quod ante petisset,  
 20 per solitum morem flagrat, ut petat ejus amorem.  
 21 Cui dum nulla patet via, qua scelus anxia patret,  
 22 se caput ad lecti rogat hanc permittere necti,  
 23 cautaque mutiret nulli, dum moecha rediret.  
 24 Cujus nexa vice stetit haec ibi pro meretrice.  
 25 Illa sub amplexus, resolutos post sibi nexus,  
 26 se tulit illicitos, inhianter utrisque petitos.  
 27 Qua nubente foris, gemitus dat vincta doloris ;  
 28 sicque vir iratus vinique sapore gravatus  
 29 tertio sectatur, quid sit sibi vel quid agatur ;  
 30 verbaque nulla dabat, quia sic latuisse putabat.  
 31 Quam super invectus furiosus hic et vir ineptus,  
 32 sumens cultellum, secat huic cum nare labellum ;  
 33 inde petit stratum, sic se putat ut satiatum.  
 34 Moecha voluptati satis ut sibi fecit amati,  
 35 intrat nocte lares, flens truncas tam male nares ;  
 36 moxque rei gestae dedit ut solatia maestae,  
 37 vincula confregit citiusque redire coegit,  
 38 se faciente quidem necti ceu nuper ibidem.  
 39 Cumque sub aurora vir surgens cerneret ora  
 40 conjugis integre, quam laesam credidit aegre,  
 41 se putat, ut stultus, quod Bacchi mole sepultus  
 42 tale quid egisset, per somnia vimque tulisset.

43 Sic victus cessit, sic crimen adultera texit.  
 44 Mox intempesta mediatrix nocte regressa,  
 45 callida sopitum delusit et ipsa maritum ;  
 46 nam dum sensisset hunc surgere, rus ut adisset,  
 47 vaginamque dari peteret zonaque ligari,  
 48 cum solo cultro veniens, dare nititur ultro.  
 49 Quem vir ut agnoscit, renuens, jam dicta poposcit ;  
 50 venit at illa dolo cum cultro denuo solo.  
 51 Ille tremens ira duo facta per haec sibi mira,  
 52 jecit in hanc cultrum, scelus hoc ita se ratus ultum.  
 53 Haec, ut texisset, male caesa quod ante fuisset,  
 54 clamat absque mora cultrum venisse per ora  
 55 vulnus et impactum fortunae casibus actum,  
 56 ex improvise naso labroque reciso.  
 57 Hac specie veri fit credulus hinc mulieri,  
 58 insidiis tantis delusus id assimulantis.  
 59 Sic fore fallaces mulieres sicque sagaces  
 60 sit cunctis clarum tot iniquis artibus harum,  
 61 nec pro communi vicio te crede vel uni,  
 62 certa fides oris dum nullis sit vel amoris !

DE VULPE ET GATTO.

B\_28 v.1 Colloquio pacto vulpes ait obvia catto :  
 2 "Qualibus utaris, precor, artibus, ut fatearis".  
 3 "Artem saltantum de cunctis calleo tantum ;  
 4 hac" ait, "antique" cattus, "sustentor ubique".  
 5 Cui vulpes inquit : "Quem sic natura relinquit  
 6 viribus expertem, velut ipse fateris, inertem,  
 7 cuilibet est signum non vita credere dignum".  
 8 Annuit hac cattus vulpis ratione coactus.  
 9 Quam tamen instigat precibusque referre fatigat,  
 10 artes quot nosset, quibus aevum ducere posset.  
 11 "Qualibus ? ex centum didici, quas more parentum  
 12 me bene munitam constat producere vitam".  
 13 "Dignior es vita, tanta, soror, arte potita ;  
 14 me sed, ad omne fere cui cor sit inutile vere,  
 15 turba canum villae, properans venator et ille  
 16 non modicum terrent, dum sic utrique pererrent".  
 17 "Digne terreris, quia nullius artis haberis,  
 18 In pede, catte, putem cum te posuisse salutem,  
 19 pectore prudenti, quod gesto, timore carenti,  
 20 mille viis pergens et memet in omnia vergens".  
 21 Dum sic se jactat, socium dum sic male tractat,  
 22 forte canes idem, venando per haec loca pridem,  
 23 sic altercantes dirimunt, super hos inhiantes.  
 24 Protinus haud aequae fugiunt per devia quaeque :  
 25 Hic, magis argutus, subit ilicis ardua tutus,  
 26 illa pererrando, solito deserta meando,  
 27 cum sibi jam fessae vitae spem credat abesse.  
 28 Cattus hic illudens, sibi fatur ab ilice prudens :  
 29 "Artibus, ut reris, de tot, quibus apta videris,  
 30 ad te tutandam saltem nunc exhibe quamdam.  
 31 Sed solis verbis jactantibus atque superbis  
 32 consulitur frustra, mors est ubi debita juxta".  
 33 Viribus in vestris qui sic confidere suetis,  
 34 amodo discatis, ne sic quandoque ruatis :  
 35 ne contemnatis, minimos quos esse putatis,  
 36 rebus inoptatis quos saepe valere sciatis !

## DE LUPO ET HIRCO.

B\_29 v.1 Exagitans circum, caperet lupo acer ut hircum,  
 2 monte sub ingenti subiit ; quem, nocte silenti  
 3 si descendisset, servabat, ut hunc rapuisset.  
 4 Sed caper ut fontem videt eminus hunc prope montem,  
 5 per circum totum sitiens, petit hinc sibi potum.  
 6 Utque sitis cessit, sub aquas sua lumina flexit,  
 7 interius spectat, quae cornua cruraque gestat,  
 8 quanti terroris proluxaque barba sit oris.  
 9 Qua caper innisus fallacis imagine visus  
 10 ac nimis elatus, perhibetur talia fatus :  
 11 "Amodo cujusquam formidine terrear usquam ?  
 12 Terga vel obstanti dabo cuique vel insidianti,  
 13 cornibus his comptus crurumque volumine promptus".  
 14 Talia jactantem, sic seque praeesse putantem  
 15 dum lupo audisset, tolerare magisque nequisset,  
 16 occupat incautum, falsis virtutibus auctum,  
 17 hunc ut terreret, dum non procul inde jaceret.  
 18 Cujus praemorso letali vulnere dorso :  
 19 "Cur" ait ille fremens, "jactas tot inania demens ? "  
 20 "Desine mirari, lupo, me tibi talia fari.  
 21 Denique vulgari solet id sermone probari :  
 22 hircus quando bibit, quae non sunt debita, dicit ;  
 23 cum bene potatur, quae non sibi debita, fatur."  
 24 Non tamen, oblato necis hujus tempore grato,  
 25 huic fore parcendum ratus est lupo, hunc sed edendum.  
 26 Non ultra vires discant praesumere viles,  
 27 nec sua non captent, propriis nec viribus aptent,  
 28 munere naturae pio non datur his fore jure ;  
 29 curaque sit talis : peragat quis ut id Juvenalis  
 30 a superioribus missum se nosse, quod expedit ipsum ;  
 31 fertur ab Argivis, quod "gnoti seliton" ubivis.

## DE VULPE ET GALLO.

B\_30 v.1 Nacta secus vallum quaedam vulpecula gallum,  
 2 callida rimatur, quibus artibus hic capiatur.  
 3 Multa revolventi sedet hec sententia menti :  
 4 fallat adulando, quem vi nequit, haec sibi fando :  
 5 "Ante per has horas quas voces quamque sonoras  
 6 nocte dieque pater dederat tuus, o bone frater !  
 7 fac igitur signum, rear hoc ut te patre dignum,  
 8 ut similis patri videatur vox fore nati".  
 9 Gallus adhortantis prece victus et hoc simulantis,  
 10 non metuenda ratus patris, jacet oris hiatus,  
 11 lumina claudendo, veluti solet ipse canendo.  
 12 Quod vulpes factum cernens sibi tempus ad aptum,  
 13 sustulit ignarum, gestans per opaca viarum.  
 14 Dedecus illud agi videt omnis ut incola pagi,  
 15 vulpis in occursum dedit ocius undique cursum,  
 16 seque sui galli dolet hoc gestamine falli.  
 17 Cujus post dorsum clamatur : "Dic, age, quorsum  
 18 nostra feratur avis vocis modulamine suavis ? "  
 19 Cumque nemus juxta vulpes sic iret onusta  
 20 nec per virtutem putet ales habere salutem,  
 21 extrahat ut prorsus, quos fixerat in cute, morsus,  
 22 arte relaxari reputat molimine tali :  
 23 "Non" ait, "audisti, referant quid inaniter isti :

24 plebis hic est nostrae gallus, hic raptus ab hoste ?  
 25 Esse tuum certe decet hunc ; fatearis aperte".  
 26 Talia credentis, cadit ales ab ore loquentis,  
 27 arboris inventae conscendens alta repente  
 28 seque sui juris docet esse nec amodo furis.  
 29 Sic deluduntur multi, dum vana loquuntur,  
 30 jure suis culpīs, patiēdo simillima vulpis ;  
 31 saepe solet tales quos fallere providus ales.

## DE LEONE ET MURE.

B\_31 v.1 Muribus in ludum collectis mutuo dudum,  
 2 casus agit quemdam latebram nimis in metuendam,  
 3 In qua, sicut erat solitus, leo forte quierat.  
 4 Cumque vagaretur mus intus, ut egrederetur,  
 5 ora quiescentis contingit acumine dentis.  
 6 Ille, ferox rictu, factusque ferocior ictu,  
 7 unguibus affixit miserum, cui talia dixit :  
 8 "Quae tibi sunt vires, me sic ut ineptus adires ? "  
 9 Cui retulisse ferunt, huc se quod fata tulerunt  
 10 sponte nec immissum, sociis sed agentibus ipsum.  
 11 Quem venia dignum, proprio nec velle malignum,  
 12 depositis irae stimulis, leo jussit abire,  
 13 cum nil posset ei mors illius esse trophaei.  
 14 Retia venantum, quoddam jactata per antrum,  
 15 huc tenuere ferum post tempora pauca dierum.  
 16 Cujus clamoris procul hinc sonus editus oris  
 17 duxit ad hunc ipsum murem, pietate remissum.  
 18 Ille sui captus non immemor, ejus et actus,  
 19 instat mille modis vinctum dissolvere nodis,  
 20 vique juvat dentis prius huic non ultro nocentis.  
 21 Sic succurrendum sibimet sciat et miserendum,  
 22 alterius culpam quicumque relinquit inultam,  
 23 curaque sit menti veniam dare cuique petenti,  
 24 dum liquet ignarum rerum fore quemque suarum.

## DE VULPE ET IBIDE.

B\_32 v.1 Invitata cibis vulpis fuit artibus ibis.  
 2 Cui liquidas pultes breviter det ut invida vulpes,  
 3 has super immensum vas spargit et undique tensum ;  
 4 ad quod ut accessit rostrumque famelica pressit,  
 5 tristior inde redit, delusam se quia credit.  
 6 Sed tempus multum non distulit illud inultum ;  
 7 nuper enim partae cenae non immemor arte  
 8 hanc, ut fallatur, secum prandere precatur.  
 9 Ampla lagena foris, spiramine stricta sed oris  
 10 vulpi plena datur, qua sufficienter alatur.  
 11 Os sed ut admovit, se tandem perfida novit  
 12 digne delusam, prius hac dape fraudis abusam.  
 13 Quae mox ironice sic fari cepit : "Amice,  
 14 ecce recepisti bona, quae largita fuisti.  
 15 Si placet, utaris ; mihi parcere ne verearis ;  
 16 si dedignaris, ne cuilibet inde queraris,  
 17 cum non sit clam te, quod talia feceris ante".  
 18 Auribus haec cordis quicumque capaciter audis,  
 19 In te quicquid odis fieri molimine quovis,  
 20 cuilibet arte mali caveas inferre sodali !

## DE CERVO ET EQUO.

B\_33 v.1 Cornibus attingens superos et viribus ingens  
 2 cervus, oberrando per rura, furebat ovando.  
 3 Cujus terror equum, veritum concurrere secum,  
 4 subdere venanti se fecit amore juvandi.  
 5 Cui prece devota miser indicat haec sua vota :  
 6 "Sic inpune sines per nostros amodo fines  
 7 hoc errare ferox animal ! Tibi dedecus, heros.  
 8 Ille quidem captus, quantis foret usibus aptus,  
 9 quale tibi caesum jecur ipsius esset ad esum,  
 10 quotque parare vales epulas hinc atque sodales !  
 11 Sed prius ostendi placet haec via, quae sit agendi :  
 12 me super invectus, jaculo sibi transfige pectus,  
 13 postque, labore meo sumpto, revehere trophaeo".  
 14 Ille per anfractus subsellia talia nactus,  
 15 ut capiat cervum, non cessat flectere servum.  
 16 Sed venatoris non immemor ille furoris,  
 17 insiluisse datur frutices, ut se tueatur,  
 18 sospes et intactus silvae munimine factus.  
 19 Viribus effetus nec tanto pondere suetus,  
 20 Alloquitur tandem sonipes se sic equitantem :  
 21 "Paene tuis victus cum sim calcaribus ictus  
 22 et simus praedae delusi, jam mihi cede,  
 23 descendensque cito, me victo turpiter, ito".  
 24 Mensit ut ille dolum metuensque relinquere solum  
 25 munus id oblatum, quia fit variabile fatum,  
 26 increpuisse pecus sic dicitur, arbiter aequus :  
 27 "Ulterius poenis nec habebere liber habenis,  
 28 nec sessoris eris immunis, ut amodo reris,  
 29 sumpseris istud onus cum gratus, ad omnia pronus".  
 30 Sic obsistentes plerique, nocere volentes  
 31 sunt magis inde sibi perversa mente nocivi,  
 32 nec dominatoris metuunt se subdere loris,  
 33 ante manumissi noceant dum quislibet ipsi.

## DE MULO, VULPE ET LUPO.

B\_34 v.1 Dum mulus quidam prope silvam pascitur Idam,  
 2 nomen ei quod sit, vulpes audire poposcit.  
 3 Respondisse datur, quod bestia vulgo vocatur.  
 4 "Non" ait, "id quaero te, sed de nomine vero ;  
 5 quale sit, ignarae mihi deprecor ut fateare".  
 6 "Nomen id inscriptum speciale, quod est mihi dictum  
 7 tempore primaevo, latet hoc mihi sub pede laevo.  
 8 Hoc ibi nactus erit, quisquis sibi discere quaerit ;  
 9 curque sit hoc gestum, non sit tibi nosse molestum :  
 10 matris in occasu, patris aegri denique suasu  
 11 constat id inventum, ne mox post fata parentum  
 12 tempus deleret proprium quod nomen inhaeret ;  
 13 parvus enim pullus fueram sensusque nec ullus,  
 14 hoc stet ut in mente, privatus utroque parente".  
 15 Illa dolum talem sibi sentit ut exitialem,  
 16 ingrediens vicum, videt haud procul hinc inimicum  
 17 forte jacere lupum quemdam secus invida lutum,  
 18 mole coartatum famis ac nimis attenuatum.  
 19 Quem nunc ulcisci cum posse locusque sit ipsi  
 20 illius ad raptum, praedae dulcedine captum  
 21 nititur urgeri sub amoris imagine veri ;

22 quam dignus pastu sit et illius ammonet astu :  
 23 "Erige te sursum, celer huc et dirige cursum,  
 24 hic quia prospexi, quod pinguis et optima vesci,  
 25 digna tuo victu, sit belua miraque dictu".  
 26 Surgit, ut audivit, lupus huc et protinus ivit,  
 27 moxque, quod ignorat, sibi nomen ut indicet, orat.  
 28 Hoc super, ut dixi, respondit providus ipsi :  
 29 "Subscriptum laevo pede, primo quod sit ab aevo,  
 30 hoc ibi quaerendum sit semper et inveniendum".  
 31 Nescius hic fraudis tantae, quam quisque subaudis,  
 32 intima dum spectat, si nomen id ungula gestat,  
 33 verbere frons crebro fuso crepat icta cerebro.  
 34 Quod dum tale videt fieri, vulpecula ridet,  
 35 omnibus infestum merito sic ultra scelestum,  
 36 praesumptor plecti quo debeat ordine recti.  
 37 Qui legit haec, discat, ne tale quid ipse cupiscat,  
 38 in se confisus, per quod sit ad ultima risus ;  
 39 nam nimis est serum, post sumpta pericula, rerum  
 40 presumptivarum stultum piguisse suarum.

DE SERPENTE ET VIATORE ET VULPE IUDICE.

B\_35 v.1 Molibus exusta de more palude vetusta,  
 2 circumsaeptus ibi draco magnus in aggere limi,  
 3 per jusiurandum, si se sciat inde levandum,  
 4 quicquid habent Mauri, dare se promiserat auri.  
 5 Forte viatoris foret his dum transitus horis,  
 6 munere ditari ratus hoc, cor ut optat avari,  
 7 hunc prius obnixae strictum, ceu jusserat ipse,  
 8 impositum raedae patria cito sistit in aede.  
 9 Quo sic advecto, fore jus ait ordine recto,  
 10 Quaeque spopondisset, resolutus ut ipse dedisset.  
 11 Anguis ab antiquo vitio consuetus iniquo,  
 12 semper et infestus mortalibus, est ita questus :  
 13 "Quid tibi mercedis me posse rependere credis,  
 14 vinxeris absque modo quem stricto tam male nodo ? "  
 15 "Sic te jussisti, cum perfidus ista petisti ;  
 16 nec lamenteris nec sic, ingratae, mineris.  
 17 Hisne tuis mendis mea tot benefacta rependis ?"  
 18 Cui tantae liti vulpes conata reniti,  
 19 fertur quaesisse, strictus sit qualiter ipse.  
 20 Quem mox artavit, dignum vir ut ipse putavit.  
 21 Vulpes ingratum jubet immemoremque probatum  
 22 fortiter astrictum vinclis, quibus est modo dictum,  
 23 huc fore censendum per eundem mox revehendum,  
 24 unde fuit vectus, limi prius aggere tectus,  
 25 sicque relinquendum penitusque nec inde movendum,  
 26 iudicio veri dignum satis ista mereri.  
 27 Sic videas plures, si tale quid amodo cures,  
 28 sumptis saepe bonis, ingrati more draconis,  
 29 emolumenta mali cupidos vice reddere tali,  
 30 tam male deceptos, poenam sibi mortis adeptos.

EPILOGUS: DE CICONIA STERCORATA.

B\_36 v.1 Commaculare torum ciconia sueta sororum,  
 2 dum prohiberetur, ne tale quid adgrederetur,  
 3 nec cujusque minis foret huic ad talia finis,

4 cedat ut his causis tam turpiter hactenus ausis,  
5 pellitur immite stationis ab arce potitae.  
6 Quae sibi fisa parum, petit agmina mox aliarum  
7 utque foret fessae locus hic, instante necesse.  
8 Quae gravior natu tunc fertur in hoc comitatu,  
9 percunctabatur, quapropter id haec patiatur.  
10 Illa suae sordis stultique nec inscia cordis,  
11 imputat errori proprio, dum nec monitori  
12 credidit, insanum nec et ipsa coercuit anum.  
13 Queritur a multis, ibi secum mutuo junctis,  
14 huc si delatum vas hoc foret immoderatum.  
15 Qua referente quidem sic esse, jubetur eidem  
16 esse reportandum vas illud opusque nefandum  
17 atque relinquendum sibi, denuo nec repetendum :  
18 amodo sincere secum sic posse manere.  
19 Taliter objectis sermonibus his sibi rectis,  
20 deserit hunc morem post sumptum jure pudorem,  
21 tota mente studens objecta per haec fore prudens.  
22 Quod constat multis contingere quandoque stultis,  
23 quos monitis blandis a factis ante nefandis  
24 prorsus et obscaenis cohibet vix suasio lenis,  
25 donec eos verbis vis durior artet acerbis,  
26 finis ut erroris sit eis vel causa pudoris.

B\_37 v.1 Tres digiti scribunt, sic totum corpus laborat.  
2 Finis adest operis, mercedem posco laboris.  
3 Finivi librum, scripsi sine manibus istum.